

Christian Ohm Peter Wasmund

Disputatio Octava De Servitutibus Praedialibus

Rostochii: Pedanus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730627454>

Druck Freier  Zugang



DISPUTATIO OCTAVA
DE
SERVITUTIBUS
PRÆDIALIBUS.

QVAM
DEO DUCE ET AUSPICE
Consensu & autoritate amplissimi Jctorum ordinis in cele-
berrima Rostochiensium Academia
PRÆSIDENTE

Viro Clarissimo & Consulissimo,
DN. CHRISTIANO OHM
J. U. D.

Publicè habebit
PETRUS VVASMUNDT
Brandburg. Megapolitanus.

In Auditorio majori ad diem 27. Martij.



ROSTOCHII

Typis Joachimi Pedani, Anno 1613.


R. U. - jur 1613 Ohm, Christiani/k

46
96

praedialibus = h/h

96

I. D. 187. 46.



DISPUTATIO

De Servitutibus Prædialibus.

Thesis I.



Repositis servitutibus personarum, restat ut de Servitutibus prædiorum agamus: quæ ferè intelliguntur, quoties servitutum nomen simpliciter usurpatur. *Cujac. in parat. ff. de servitut.*

II.

Ideò autem hæ servitutes prædiorum appellantur, quoniam sine prædijs constitui non possunt. Nam ad harum acquisitionem prædium ab utraque tam constituentis, quam ejus cui constituitur parte, requiritur: unde & prædialis dicitur. *§. ideo 3. Inst. de servitut. præd. l. adificia 1. §. ideo 1. ff. commun. præd.*

III.

Servitus prædiorum est jus, quod quis in alieno prædio prædij sui nomine impositum habet. *Cujac. in parat. d. loc.*

IV.

Prædia sicuti alia sunt urbana, alia rustica; ita servitutes sunt vel urbanorum vel rusticorum prædiorum, quæ non loco, sed materia & qualitate distinguuntur. *l. urbana 198. l. urbana 166. ff. de V. S.*

V.

Urbanorum prædiorum servitus est, quæ ab alieno prædio debetur nostro urbano: qualis est, ne altius quis tollat ædes suas, ne luminibus vicini officiat. Item stillicidium avertendi in tectum vel aream vicini, aut non avertendi. Item immittendi uigna in parietem vicini, projiciendi, protegendi. *l. urbanorum 2 ff. h. t.*

A 2

VI, Sunt

VI.

Sunt & hæc servitutes urbanæ, luminum, ne prospectui officiat, & oneris ferendi, ceteræq; illis similes. *l. est & 3. l. eum debere 33. h. t.*

VII.

Ædificia, quæ servitutem patiantur, ne quid aliùs tollatur, viridia supra eam altitudinem habere possunt: at si de prospectu est, eaq; obstatura sunt, non possunt. *l. adificia 12. ff. h. t.*

VIII.

Inter servitutes ne luminibus officiat, & ne prospectui offendatur, aliud & aliud observatur: quod in prospectu plus quis habet, ne quid ei officiat ad gratiorem prospectum & liberum. In luminibus autem non officere, ne lumina cuiusq; obscuriora fiant: quæcunq; igitur faciat ad luminis impedimentum, prohiberi potest, si servitus debeatur. *l. inter servitutes 15. ff. h. t.*

IX.

Inter lumen & prospectum Paulus interesse notat, quod prospectus etiam ex inferioribus locis sit, lumen ex inferiori loco esse non possit. *l. lumen 16. ff. h. t.*

X.

Si servitus imposita fuerit, lumina quæ nunc sunt, ut ita sint, de futuris luminibus nihil caveri videtur: quod si ita sit cautum, ne luminibus officiat, ambigua est scriptura: utrumne his luminibus officiat. Et Pomponius humaniùs ait, verbo generali omne lumen significari, sive quod in præsentia, sive quod post tempus conventionis contigerit. *l. si servitus 23. ff. h. t.*

XI.

Servitute stillicidij imposita, non licet domino servientis aræ ibi ædificare, sic ut stillicidium non rectè recipiatur: Nec etiam ab eo cui debetur inferiùs demitti, sed altiùs.

tius tolli & introduci potest. *l. servitutes 20. §. si servitus cum
seqq. ff. h. t.*

XII.

Si domus tua ædificijs meis utramq; servitutem aliis
non tollendi & stillicidij excipiendi deberet, priore remissa
non aliter ea uti poterit, ut nec casus stillicidij impediatur.
l. si domus 21. ff. h. t.

XIII.

Rusticorum prædiorum servitutes sunt, quæ ab alie-
no prædio debentur nostro rustico. Sunt autem hæc, Iter,
Actus, via, aquæ ductus, &c. *l. 1. ff. de servit. præd. rust.*

XIV.

Iter est jus eundi, ambulandi hominis, non etiam ju-
mentum agendi vel vehiculum, itaq; qui iter habet, actum
non habet qui actum habet, & iter habet sine jumento.
princ. Inst. h. t. l. 1. ff. eod.

XV.

Qui sella aut lectica vehitur, ire non agere dicitur. In-
ter actum & iter est & hæc differentia; quod iter sit,
qua quis pedes velesque commovere potest. Actus vero
ubi & armenta trajicere & vehiculum ducere liceat. *l. qui
sella 7. & l. inter actum 12. ff. h. t.*

XVI.

Via est jus eundi & agendi & ambulandi, nam & iter
& actum via in se continet. *d. princ. Inst. h. t. l. 1. ff. h. t.*

XVII.

Qui viam habet ei & jus trahendi lapidem aut tignum
& rectam hastam referendi, si modo fructus non lædat,
conceditur *d. l. qui Sella 7. ff. h. t.*

XVIII.

Latitudo itineris actusq; ea est quæ demonstrata:
quod si nihil dictum, hoc ab arbitrio statuendum est At via
latitudo ex *l. 12. tabb.* in porrectum octo pedes habet: in
anfra-

anfractum, id est, ubi flexum est, sedecim. l. certo 13. §. latitudo 2. ff. h. t. l. via 8. ff. eod.

XIX.

Si totus ager itineri aut actui servit: dominus in eo agro nil facere potest, quo servitus impediatur, quæ ita diffusa est, ut omnes glebæ serviant. At si iter actusve sine ulla determinatione legatus est: modo determinabitur, & quæ primum iter determinatum est, ea servitus constitit: Ceteræ partes agri liberæ sunt, igitur arbiter dandus est, qui utroq; casu viam determinare debet. d. l. certo 13. §. si totus 1. ff. de servit. præd. rust.

XX.

Si tam angusti loci demonstratione facta via concessa fuerit, ut neq; vehiculum neq; jumentum ea inire possit, iter magis quam via aut actus adquisitus videtur: sed si jumentum ea duci poterit, non etiam vehiculum actus videbitur adquisitus. l. si tam 13. ff. de servitut.

XXI.

Aquæ ductus est jus aquam ducendi per fundum alienum & nisi ex capite vel fonte constitui poterat: hodie tamen ex quocunq; loco constitui solet. l. servitus 9 ff. h. t.

XXII.

Aquæ ductus per eundem locum ut ducatur, etiam pluribus concedi potest, non tantum ut diversis sed etiam ut iisdem diebus vel horis ducatur, modo sufficiens sit l. rusticorum 2. §. aqueductus 1. §. seq. ff. h. t.

XXIII.

Inter rusticorum prædiorum servitutes quidam computari rectè putant aquæ haustum, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ. §. inter 2. Inst. h. t. l. 1. §. in rusticis 1. ff. h. t.

XXIV.

Imponere & acquirere nemo servitutem urbani vel rusti-

rustici prædij potest, nisi qui prædium habet. *D. Ideo Inst. h.
t. l. 1. ff. comm. prad.*

XXV.

Si unus ex socijs stipuletur iter ad communem fundum, inutilis est stipulatio: quia nec dari ei potest, sed si omnes stipulentur, sive communis servus: singuli ex socijs sibi dari oportere petere possunt. *l. si unus ff. de servit. rust. prad.*

XXVI.

Receptum etiam est, ut plures domini, & non pariter cedentes servitutem imponant vel adquirant: ut tamen ex novissimo actu etiam superiores confirmantur: perindeq; sit, atq; si eodem tempore omnes celsissent, *l. receptum. ff. comm. prad.*

XXVII.

Et benignius cum Celso dicetur, etiam antequam novissimus cesserit, eos qui antea cesserunt, vetare uti cello jure non posse. *l. per fundum 11. ff. de servit. rust. prad.*

XXVIII.

Si quis duas ædes habet, & alteras tradat, potest legem traditioni dicere, ut vel istæ quæ non traduntur, servæ sint his quæ traduntur, vel contra, ut traditæ retentis ædibus serviant. *l. duorum 3. in pr. l. si quis 6. ff. comm. prad.*

XXIX.

Idem erit & in prædijs rusticis, nam & si quis duos fundos habeat: alium alij potest servum facere tradendo. Duas autem ædes simul tradendo non potest efficere alteras alteris servas. *d. l. si quis 6, in pr. ff. d. t.*

XXX.

Res in quibus existunt servitutes sunt prædia aliena: & vel in solo vel superficie consistunt, item vel in toto fundo aut qualibet ejus parte. *l. servitutes 3. l. ad certam. 6. ff. de servitut.*

Præ-

XXXI.

Prædium cui imponitur servitus regulariter vicinū alteri esse oportet. Et ideo si liberum prædium intermedium servitutis usum impedit; quod quidem in rusticis servitutibus maximè contingit, in urbanis non æquè constitutio ejus non subsistit. *l. qui sella 7. §. in rusticis ff. de servit. rust. prad. l. in tradendis 7. §. interpositis ff. comm. prad.*

XXXII.

Constituitur servitus adjuncta domini patientia, pacti- onibus, stipulationibus, & testamento, nec non diuturno usu & longa quasi possessione. *§. ult. Inst. h. t. l. via 5. ff. eod.*

XXXIII.

Neq; in hac præscriptione necesse est docere de jure, quo servitus constituta est, veluti ex legato, vel alio modo: Sed hoc tantum exigitur, ne is qui servitutem sibi asserit ea per longum tempus usus sit aut vi aut clam aut precario. *l. si quis diuturno 10. ff. si serv. vind.*

XXXIV.

Omninò etiam necessarium est, jure servitutis eum qui præscripsit usum fuisse, & præter patientiam scientia ad- versarij requiritur. *l. si aquam 2. C. de servitut.*

XXXV.

Servitutes ipso quidem jure, neq; ex tempore, neq; ad tempus, neq; sub conditione, neq; ad certam conditionem (verbi gratia, quamdiu volam) constitui possunt: Sed tamè si hæc adjiciantur: pacti vel per doli exceptionem occurre- tur, contra placita servitutem vindicanti, idq; & Sabinum respondisse Cæsius retulit & sibi placere. *l. servitutes 4. ff. h. t.*

XXXVI.

Modum adjici posse servitutibus constat: veluti quo genere vehiculi agatur, vel non agatur: veluti ut equo duntaxat: vel ut certum pondus vehatur. Ad modum et- iam

iam intervalla dierum & horarum pertinent. *d. l. servitutis*
4. §. *modum* 1. ff. *h. t.*

XXXVII.

Pro servitutibus constituendis, si fuerint promissæ non autem traditæ datur actio ex eo contractu, veluti si stipulatione promissæ ex stipulatu.

XXXVIII.

Natura servitutum non ea est, ut aliquid faciat quis, sed ut aliquid patiat, & non faciat; nisi servitutis conditio vel pactum contrahentium aliud postulare videatur. *l. quoties 15. §. servitutum* 1. ff. *de servit. l. etsi forte. §. 2. l. sicuti* 8. §. *distant.* 2. ff. *si serv. vind.*

XXXIX.

Natura etiam sua perpetuas causas habent, nec divisionem recipiunt. Vnde pro parte servitutum adquiri non posse vulgo traditur. *l. foramen 28. ff. de serv. urb. prad. l. pro parte* 11. ff. *de servit. l. via. 23. §. 3. ff. de servit. prad. rust.*

XL.

Præterea servitus non per se sed cum prædio possideri potest, quo alienato, unâ cum sua conditione ad possessorem transit. *l. si ades §. 1. in fin. ff. de serv. prad. urb. l. via 23. §. si fundus. 2. ff. de servit prad. rust.*

XLI.

Est & servitutis proprium ut utilitatem, ex dominorum opinione æstimatam, prædiorum, quibus constituitur, respiciat, alias nihil agitur. *l. quoties 15. ff. de servit.*

XLII.

Commune quoq; est omnibus servitutibus, ut ijs ita uti liceat, ne prædium alterius penitus inutile reddatur. *arg. l. is qui 29. ff. de serv. rust. prad.*

XLIII.

Porro de servitutibus in rem actiones competunt tam confessoria quam negatoria. Illa ei qui servitutem sibi

B

com-

competere contendit, Hæc domino, qui negat. *l. de servi-
tutibus 2. ff. si serv. vind.*

XLIV.

Agitur confessoria non tantum cum domino prædij,
qui Servitutem deberi negat, verum etiam cum omnibus,
quicunq; impediunt sive servitutis faciant controversiam
sive non. Item negatoria cum quolibet indebitum sibi ser-
vitutis jus usurpante *l. si quis 10. §. agi 1. ff. h. t.*

XLV.

Harum actionum eventus hic est, ut victori officio ju-
dicis & res præstetur & cautio. Res ipsa hæc est, ut jubeat
adversarium judex vitium parietis emendare & idoneum
prestare. Cautio ut eum de reficiendo pariete cavere jube-
at, neq; se neq; successores suos prohibuituros altius tollere.
l. harum actionum 7. ff. h. t.

LXVI.

Veniunt etiam in has actiones fructus. Sed videamus
qui esse fructus servitutis possunt: Et est verius id demum
fructuum nomine computandum, si quid sit quod inter sit
agentis, servitute non prohiberi. Sed & in negatoria actio-
ne ut Labeo ait, fructus computantur, quanti interest peti-
toris, non uti fundi sui itinere adversarium, & hanc sen-
tentiam & Pomponius probat. *l. loci 4. §. in confessoria. 2.
ff. h. t.*

XLVII.

Deniq; servitutes extinguuntur varijs modis. Confusi-
one, si idem utriusq; prædij dominus esse ceperit. *l. servitu-
tes 1. ff. quemadmodum servit. amitt.*

XLVIII.

Deinde & actu aliquo concessio, qui servituti ita con-
trarius sit ut durare simul nequeant, extinguere eas necesse
est. *l. si filicidij 2. ff. h. t.*

Præ-

XLXI.

Præterea si heres, cum legatus esset fundus sub condi-
tione imposuit ei servitutes, extinguuntur si legati conditio
existat. Videamus an acquisitæ sequantur legatarium: Et
magis dicendum est, ut sequantur. *l. 15. c. vi. 11. §. heres. 1. ff. h. t.*

L.

Fundi servientis interitu servitutes prædiales non amit-
ti propter prædiorum utilitatem receptum est. *l. servitutes*
20. §. si sublatum 2. ff. de serv. prad. urb. l. si testamento 31. ff. eod.

LI.

Postremo constitutæ non utentis negligentia contra
præsentes decennio, viginti vero annorum spacio contra
absentes amittuntur; vel ita constituta servitute, ut vel
ætate tantum ea utar, vel alternis annis, duplicato tempo-
re evanescit *l. sicut 13. C. de serv. & aq. l. si sic. 7. ff. h. t.*

LII.

Et hoc in rusticis obtinet, in urbanis autem præterea fa-
cto aliquo opus est adverstarij, quo libertatem velut possi-
deat, eamq; usucapere possit. *d. l. si sic. 7. l. si quis 18. ff. quem-*
admodum serv. amit. l. hac autem 6. ff. de serv. urb. prad.

COROLLARIA.

I. An jus ex recta ratione, an vero ex va-
ga tantum hominum opinione dependeat, Epi-
curei referente Coras. de art. jur. part. 1. c. 3.
dubium fecerunt? *Aff. pr.*

II. Quando jus venandi & aucupandi in
alienis prædijs alicui competit, invitis quoq;
dominis, quari solet, qualis isthac sit servitus,
personalis, vel realis? *Neq; utr.*

Hodie

III. Hodie pœna furti ordinaria, ex Constitutione Carolina, ultimum supplicium est: qua an rationi & juri congrua sit, dubitant, multi? Aff.

IV. Mandavi tibi ut alterum vulnerarest tantum, facta expresse inhibitione, ne eundem occideres: tu limites mandati transiliens, illum interficis; quæro, an ego tecum ordinaria l. Cornelia pœna plectendus sim? N.

V. An dominus si Procuratoris facto vel negligentia causam amiserit, isq; solvendo non existat, contra rem judicatam in integrum restituendus? Aff.

VI. An licitum sit Provocare alterum ad duellum aut monomachiam; & an provocatus comparere teneatur, adeo ut nisi cum provocante pugnaverit, infamiae notam incurrat? Neg. regul.

VII. An relegatio infamet? Dist.

VIII. Num debeatur Advocato salarium sive honorarium qui in causa succubuit? Aff.



iam intervalla dierum & horarum pertinere
4. §. modum 1. ff. h. t.

XXXVII.

Pro servitutibus constituendis, si fuerint
autem traditæ datur actio ex eo contractu
latione promissæ ex stipulatu.

XXXVIII.

Natura servitutum non ea est, ut aliquis
ut aliquid patiat, & non faciat; nisi se
vel pactum contrahentium aliud postulari
tius 15. §. servitutum 1. ff. de servit. l. etsi forte
8. §. distant. 2. ff. si serv. vind.

XXXIX.

Natura etiam sua perpetuas causas habere
nem recipiunt. Vnde pro parte servitute
posse vulgo traditur. l. foramen 28. ff. de servit.
parte 11. ff. de servit. l. via. 23. §. 3. ff. de servit.

XL.

Præterea servitus non per se sed cum
potest, quo alienato, unà cum sua conditio
rem transit. l. si ades §. 1. in fin. ff. de servit. p.
§. si fundus. 2. ff. de servit. præd. rust.

XLI.

Est & servitutis proprium ut utilitatem
opinionem æstimatam, prædiorum, quibus
spiciat, alias nihil agitur. l. quoties 15. ff. de

XLII.

Commune quoque est omnibus servitutibus
uti liceat, ne prædium alterius penitus
arg. l. is qui 29. ff. de servit. rust. præd.

XLIII.

Porro de servitutibus in rem actiones
confessoria quam negatoria. Illa ei qui

B

